UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Incipiens ab Anno Domini D.XVIII. perducitur vsque ad Annum D.XC. nempe ab Anno primo Iustini Senioris, vsque ad quintum Mauritij Augusti. Complectitur annos LXXIII.

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Iesv Christi Annus 557. Pelagii Pap. Annus 3. Ivstiniani Imp. Annus 31.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14926

Visual Library

correptus à febre nocte media expirauit hoc pœnitens in craſtinum ad illam horam, qua in baſilica Sancti populum de manu exuſſerat fugitiuus. Poſt iſtud miraculum omnes ei opus enixiſſime quæ erant neceſſaria detulerunt. hæc Gregorius, quib. præter diuinitus patrata miracula, illud admiratione dignum palam innoteſcit, quam religioſe à Francis ſacra cuſtodiretur, cum nec perditiſſimus Chramnus ea violare præſumpſerit, ſed obſidione potius, quam inuaſione capere voluerit inimicum. Quid autem eidem acciderit Chramno, cum euaſurus indignationem patris confugit ipſe in eamdem baſilicam S. Martini, ſuo loco dicemus. Sed quæ præterea diuina vltio conſecuta ſit milites Chramni, cum res Eccleſiæ abſtuliſſent, eumdem aud. Gregorium a:

a Gregor. de gloria mar. cap. 66.

XLII. MILITES SACRILEGI PVNIVNTVR, POENITENS LIBERATVR.

In ipſo quoque territorio, tempore quo Chramnus Aruernum abijt cum diuerſa ſcelera ab eius gererentur miniſtris, quinque viri ſacroſanctum oratorium domus ingreſſi furtim appetunt: habentur autem in eo S. Saturnini reliquiæ: interruptoque abſtatis palliolis vel reliquis miniſterii ornamentis, nocte tegente diſcedunt. Sed presbyter id agnoſcens furtum ac inter vicinos ſcrutans, nullum potuit ex his, quæ ablata fuerant, indicium reperire. Pro inde vero latrones, qui hæc abſtulerant in Aurelianenſe ſe territorium tranſtulerunt diuiſisq; rebus acce..., vt vnuſquiſque partem ſuam, ſed mox inſequente vltione diuina, quatuor in ſeditionib. interfecti, vnus quintus vero totam furti huius hereditatem ſuperſtes remanens vendicauit. Sed vbi hæc in domum ſuam contulit, ſtatim abſtractis ſanguine oculis, excæcatus eſt. Tunc compunctus tam doloribus quam inſpiratione diuina venit, dicens: Si reſpexerit Deus miſeriam meam, & mihi viſum reddiderit, reſeram loco illi ſancto, quæ abſtuli. Et hæc cum lacrymis orans, viſum recepit. Accedens vero ad oppidum Aurelianenſe, prouidente Deo diaconum Aruernenſem inuenit: cui tradita rebus, ſuppliciter exorauit, vt eaſdem oratorio reſtitueret, quod diaconus deuotus impleuit. hactenus de his Gregorius. Sed ad Orientem recurratoratio.

XLIII.

b Agath. lib. 3.

Hoc eodem anno (vt colligitur ex Agathia b) ingentem inſperatamque victoriam de Perſarum exercitu apud Colchos Romanus exercitus obtinuit, Deo ita cuncta ſua prouidentia diſponente, dum qui ſacrificij cauſa Iuſtinus Dux cum equitatu abeſſet receſſurus in munitionem, hoſtes quibus occurrit, fugauit. Agathias rem geſtam narrans, hæc de Iuſtino, qui poſt Iuſtinianum imperauit. *Interea vero Iuſtinum (non enim Nachoragan Perſarum Ducem de improuiſo aſfuturum putabat) cogitatio ſubijt & diuinitus quidem (vt reor) templum quoddam ſanctiſſimum, & apud Chriſtianos haud dubie permagnificum ſacrificandi gratia adeundi haud procul ab vrbe ſitum. Delectis itaque ex vniuerſo exercitu equitum millibus fortiſſimis & bellicoſiſſimis viris haud ſecus inſtructis, armatiſque ac acie mox eſſet concertandum, proceſſit, ſequentibus ſignis & militari cetero apparatu: & forte ita accidit, vt nec Perſæ hos abeuntes viderent, neque hi illos in ſe aduentantes, ſed alia dum mœnia de improuiſo aggrediuntur.* & inferius poſt enarratum ſummum diſcrimen, in quod obleſſi coniecti erant, de eodem Iuſtino iſta ſubijcit: *Interea è templo iam redeuntes, ex ipſo tumultu & armorum concuſſione quæ gerebantur, innotuere. Vnde equitatu ſtatim conuerſo, & ordine ſuo quodam inſtructo, iuſſiſque antiſignanis vt ſigna erigerent, vniuerſos operam vt nauarent hortatus, ſuos certiores mox fecit, non ſine diuino nutu ex oppido ſe exceſſiſſe, vt hoſtes in ſe ſubita terrore obſidione adduceret.* Quomodo autem compreſſione in hoſtes facta, omnes in fugam adegit, ordines turbans, & internecioni ſubiecit, idem pluribus refert.

IVSTINVS PIETATI INTENTVS PERSAS VINCIT.

Sed hæc ſatis ad inſtitutum, quo moneamur omnia ſoſpitia euenire cum diuini numinis cultus præcedit opus.

* * *

IESV CHRISTI

Annus 557.

PELAGII PAP. Annus 3. IVSTINIANI IMP. Annus 31.

I.

QVinquageſimus ſeptimus ſupra quingenteſimum Chriſti annus, idemque poſt Conſulatum Baſilii decimus ſextus in Faſtis inſcriptus, Conſtantinopolitanis admodum luctuoſus ob ingentem rurſus repetitum terræmotum ipſam vrbem horrenda denuo quaſſatione concutientem exitit. Agathias enim poſt recenſitas anni huius res geſtas, nimirum quæ facta ſunt hieme aduerſus Ruſticum & Ioannem Duces exercitus capite damnatos ob necem illatam Colchorum Regi Chriſtiano Romani Imp. ſocio: & bella, quæ proſpere confecta ſunt aduerſus Miſimianos, qui defecerant à Romanis ad Perſas: poſtque enarratum ſupplicium ſuperbiſſimi Perſarum exercitus Ducis, quem ob male rem geſtam Coſrhoes Rex excæcari iuſſit: poſt denique de Regibus Perſarum eiuſdem gentis moribus plura fuſius pertractata: atque funeſta hoc eodem anno Conſtantinopoli autumni tempore contigerunt, ita ſcribit c:

c Agath. li. 5.

II. CONSTANTINOP. A TERRÆ MOTV CONCVSSA.

Paulo antequam hæc gererentur, iterato Bizantij vehementer adeo ſe terra mouit vt omnis fere collapſa ciuitas ſit. Hunc terræmotum & alter tanta magnitudinis inſecutus, quanta (vt reor) nunquam antea fuerat: nimirum qui ſit ex æſtuantibus aquis, ſalientiſque terra perſeuerant à ſaltus. & is ſane eo horridior videbatur, quod pleraque periculoſius occurrebant. Exierat namque autumni iam tempus, & pro nominibus ex Romana conſuetudine ſymposia peragebantur. frigus tunc erat, quale per id eſſe tempus decebat: Solque in occiduum vertens, in Capricornum deferebatur. cum interea circa mediæ noctis cuſtodiam cunctis alto ſomno detentis & iam quieſcentibus, derepente id malum inuaſit, atque adeo vt à fundamentis omnino quaterentur: motuſque ipſe ceſſi in principio ſtatim violentiſſimus fuit in maius tamen continenter excreuit, ita vt alio addito ad id incremento, in immenſum euaderet.

III. INGENS TREMOR OCCVPAT OMNES.

Demum itaque vndique excitatis, eiulatus vndique comploratioſque exaudiebantur, & vox item illa quæ in huiuſmodi malis afferri ſponte ad Deum ſolet. Nam ſonitus quidam grauis, ferusque perinde tonantis è terra ſtridor fragorque remittebantur, remiſſuſque ventorum turbines ſubſequebantur. & terrorem ingeminabant pauentibus: ſiquidem terreſtris ſpiritus quidam fumoſa nebula neſcio quo pacto ſurſum verſus expulſus deſuper Dus & turbulentior & ſonitus, quo territi homines & pauore correpti, mente quadam torpidi è domicilijs eproruebant: cum publicæ anguſtioreſque viæ multitudine complebantur, tamquam non domi deperituri ſi preuentum iam eſſet; nam frequentia continuata connexaque inuicem eius vrbis ædificia ſunt atque adeo, vt vix locum ſub dio ſitum apertumque, & omni nomine ad aliud ædificio altero vacuum reperiat quiſquam. Sed aliquin cum ad ſuperiora dirigerent oculos, & vtrumque cœlum ſpectarent, Deumque hoc pacto deprecarentur: ſummittit timor animi omnis & perturbatio denique ſenſim his videbantur, & perinde lenter cadente niue irrigabantur, algore iam degrauati: haud tamen vel ita affecti tecta iterato ſubibant, ni forte ſacras ædes intraſſent nonnulli, eodemque prouoluti ex Deo opem depoſcerent.

IV. VARII AC MISERABILES CASVS.

Videre tunc licuiſſet fœminarum vim maximam: nec infimæ ſortis ſed familiæ honoratiſſimæ cum viris ſimul cerni, & turbæ immiſceri, omnem ordinem & pudorem confundi, nec cuiuſuis conditionis hominis præ formidine ſine vllo diſcrimine proculcari. Domini præterea ſerui æſtimabantur, nec dicto parebant, cum maiore quodam terrore victi ſe in templa reciperent. Haud ſecus inferiores priuatique homines magiſtratus gerentibus ſine vllo honoris reſpectu permixti iam aderant, vt ex communi omnibus incidente periculo, vniuerſi exiſtimantibus ſe non longe poſt perituros. Frequentiores ea ſunt nocte excurſationes, & præſertim in Regio (vrbis ea ex Regium eſt) quam multa præterea

& incredibilia contigere. Nam alibi forte ſiue lapide tecta ſiue ligno ædificata, velut renunciata compage hianti, ab inuicem diuellebantur, ita vt æther inde aſtraque nihil ſecius ac ſub dio conſpicerentur, ac mox iterato in priſtinam compagem coibant. Alibi vero columnæ è ſuperiori domicilij loco firmius collocatæ, violentia exæſtuantis motus depulſæ excutiebantur, ſuperuectæque proximas domos, ad eas, quæ longius aberant, veluti funda emiſſæ euehebantur, & fragore ingenti omnia conterebant. Alibi vero horribiliora acciderant. ſed alias ſæpe & ſuperioribus temporibus facta, & vt in poſterum fiant neceſſe eſt, quoadusque terra hæc ſupereſt & humana natura peccatis: tunc tamen in maius omnia occurrerunt. Nam è turba magna vis hominum & obſcuriorum interiit. Ex his vero, qui Senatorum numero eſſent aſcripti, ſolus Anatolius periit, vir ſane Conſularis dignitatis honoratiſſimus: ad quod accedebat, quod Imperatoris domus, vt curam ſuſceperat, ſic & eſſet bonorum omnium procurationem nactus.

V. ANATOLII OBITVS.

Is itaque cum ſuo & conſueto lectulo quieſceret, marmoris iuxta ſe fruſtum in cubiculi ædificio ſtabat pulchre atque decenter elaboratum, qualia parietibus ſolent ad ornatum & oſtentationem, non ad neceſſitatem per eos affigi, qui iſtiuſmodi ſupernacaneis inhiant rebus, & non admodum neceſſariis ornamentis. Ea igitur ſaxi moles præ nimio motu diſſoluta laxataq;* è pariete pulſa huic in caput concidit dormienti, & plane contriuit. Anatolius vero tanta mole oppreſſus ad id modo ſuffecit, vt grauiter ex cordeque ingemiſcens, eodem tamen in lecto procumberet moribundus. Hæc noctu.

* luxataque

VI. QVÆ CONSOLATIO IN ANGVSTIIS.

Die autem comparente, per quam libenter ſe inuicem ciues contuebantur, cum obuiam offerrentur amantiſſimi quique & familiariſſimi: complexationeſq; mutuas cæteraſque turbam inſinuantes, alternisque ſinguli prodata reddita quaſi vltro ſalute, etſi ſui iam deſperantes voluptate afficiebantur. Interea vero dum Anatolius in ſepulchrum effertur, è plebe homines quidam (vt fit) dictitare, non iniuria cum hoc mortis genere fuiſſe affectum, quippe qui iniuſtiſſimus fuerit, & quam multis multa ſubtraxerit: & facile confirmare, deſcriptas illas per eum tabellas ſub puniceas veſtes huius ſibi demum exitum habuiſſes, quas ſub prætextu in Imperatorem beneuolentiæ in domos felicium frequenter congeſſerat, & hac vita omnia ſibi vendicaſſe, violaſſetque impudentius ſimul & fregerit, quæ teſtamenta mortui delegaſſent, abire in rem malam legibus iuſſis, quæ liberos velint in paternæ ſubſtantiæ hereditatem ſuccedere. Iſtiuſmodi vulgus ſubmurmurando, tanti caſus compertam habere ſe cauſam opinabatur. & inferius poſt nonnulla de Anatolij repentino obitu diſputata, cœptam ſemel de terræmotu narrationem proſequitur verbis iſtis.

VII. DE IMPOSTORIBVS OCCASVM MVNDI PRÆDICENTIBVS.

Tunc igitur & deinceps dies quamplurimos terra mouit: breuior tamen, nec qualis tunc primum his motus inuaſit, ſed valida alioquin, vt qui reliqua quæ Byzantij eſſent, conteri ret. Tunc portenta mox quædam & prædictiones abſurdæ in vulgus temere diuulgari, & mundi hanc machinam prædicari quam concitatiſſime collapſuram. Nebulones præterea quidam & deceptores, veluti diuini quidam & vates ſponte ſua circumire, & ſibi viſa prædicere, terroreſq; multis incutere: quibus facile poterat, vt antea territis, perſuaderi. Hi itaque ſiue incaſſum furere, & prauo agitari dæmone ſe ſimularent, grauiſſima quædam paſſim iactabant, & tanquam ex adnata ſibi præſtorum dæmonum ſpecie fuiſſent futura edocti, deque ſuis admodum furiis iactarentur. Alij præterea aſtrorum decurſus: figuraſque animo agitantes, maiores calamitates, & perinde communem rerum euerſionem fore ſignificabant. Itaque terror omnes percellebantur. Quo modo autem & ob præſentia, quæ aderant, mala, & futura, quæ timebantur, populus ſibi timens totus eſſet in ſupplicationibus, idem ſic addit auctor:

VIII. POPVLVS CONST. AD MELIOREM FRVGEM CONVERSVS.

Eorum tamen nemo, qui aff... eſſent, ſibi non admodum formidoloſus terrore obſtupeſcabat. Vnde & ſupplicationes publicæ factæ, hymnique ſupplices, vniuerſis aſtantibus ad id vnum coactis, exaudiebantur. Quin etiam quæ verbotenus antea laudaſſent, ſed facto raris confirmaſſent, tunc mira animi promptitudine exequebantur: æquitatem præterea vniuerſi in ſuis commerciis præferebant: ita vt vel Principes ciuitatis, lucri cupiditate reiecta, ex lege cauſas vendicarent: tum alij etiam, etſi potentes, tacite ſecum quieſcere, iuſtaque facere, & à turpiſſimis abſtinere. Nonnulli vero, immutato prorſus viuendi more, ſolitariam potius vitam & in montibus ducere malueruant, relictis honoribus, pecuniiſque & eiuſmodi cæteris, quæ ſuauiſſima dicunt mortales: vel forte in ſacras ædes, ſacroſque viros collatis. Noctu præterea priores vrbis publicas circumuecti vias abunde cibis, veſtituque miſeros quoſque & calamitoſos donabant, quorum plerique vt corpore mutilati in terram proiecti tunc forte emendicabant. Hæc ferme per tempus aliquod geſta, & quamdiu recens timor incubuit. Poſtquam vero ſubleuari parumper diſcrimen eſt viſum, confeſtim ad priſtinam rediere plerique conſuetudinem: dum enim neceſſitas vrget, & formido ingruerit, quæ recentiora ſunt facta, vtcunque & leniter deguſtamus. hæc Agathias: qui & poſt diuerſorum ſententias de terræmotus cauſa allatas, de Iuſtiniani ſtudio iſta ſubdit:

IX. IVSTINIAN. IMPER. TEMPLVM INSTAVRAT.

Per eam itaque hiemem in his malis ciuitas verſabatur, adeo vt plurimos dies terra viſa ſit commoueri, etſi minus concuteretur: inſederat id hominum mentibus, & ſuſpicio inerat animis cogitatus obtundans. Imperator præterea ædificia pleraque, quæ putrentia & debilia eſſent, vel forte prolapſa, inſtaurare nitebatur. Sed cura illi præcipua fuit Dei illud maximum & egregium templum, quod antea ipſe per populum quondam incenſum conſpicuum & admirabile iterato conſtruxerat. & vt priſtina magnitudine excellentius, ita & forma decore & metallorum varietate ornarat. & paulo poſt. Erat in eo pars quædam teſtudinis & intermedia quidem, quæ cæteras ſuperarat ædificij partes, terræmotu excuſſa: quam Imperator longe firmius exædificari curauit. Quomodo autem id factum ſit docet, aſſerens inſuper de eodem mirabili ædificio extare egregiũ poema Pauli Flori viri maiorum nobilitate clariſſimi atque inter Præfectos inſignis, cuius etiam argumenti edita reperirentur egregia alia poemata. De eodem quoque templo præter illa, quæ à Procopio a ſcripta habentur Euagrius eius ſtructuram, ſitum & dimenſiones capite vno complexus eſt: quod hic deſcribere, haud ſuperuacaneum eſſe putamus, ait igitur b.

a Procop. li. 1. de ædific. Iuſtin. Imp. b Euagr. li. 4 c. 31.

X. DESCRIPTIO SOPHIÆ TEMPLI.

Idem Iuſtinianus Conſtantinopoli cum alias multas ſacras ædes pulcherrimo artificio elaboratas Deo & Sanctis erexit, tum inſigne illud & præ cæteris eximium, ampliſſimum dico Sophiæ templum extruxit: quod quidem tale fuit, quale non aliquando viſum fuiſſet, quodque ornatu & ſplendore adeo excelluit, vt nulla dicendi vi facile explanari poſſet: at ipſe tamen illud pro virili deſcribere conabor. Teſtudo ſanctuarij quatuor fornicibus in ſublime erecta & ad tantam ſublata altitudinem, vt ad eius hemiſphærij faſtigium aties eorum, qui infra ad baſim conſiſtentes oculos ſurſum tollebant, ægre penetrare poſſet: & qui ſupra ſtabant, etiamſi valde eſſent animoſi, deſpicere neutiquam auderent, oculoſve ad baſim demittere. Fornices à ſolo vſque ad tectum (vſque eo namque eriguntur) penitus vacant. In dextro templi latere ſunt bonam ingredienti ad læuam columnæ ordine locatæ, quæ ex lapide Theſſalico confectæ ſunt, ſunt etiam alia tabulata aliis columnis ſimilibus ſuffulta, in quibus ſi qui volunt, myſteria peracta videre poſſunt. In illis quoque Imperator diebus feſtis, dum ſacroſanctæ myſteriorum celebrationi intereſſet, aſſidere ſolet. Quæ quidem partim verſus orientem Solem, partim occidentem ſic diriguntur, vt nimime impedimento ſint, quo minus amplitudo talis operis ſpectari queat. Porro autem porticus eorundem tabulatorum, quæ infra, columnis paruiſque fornicibus operis extremitates ambiunt. Verum quo magis admirabilis ædificij fabrica velut ante oculos cuiuſque verſetur, viſum eſt hoc loco intexere, quot pedes eius longitudo contineat, quot latitudo, quot altitudo, & de fornicibus eodem modo, quot pedes vacuum eorum complectatur ambitus, quot denique eorum altitudo. ſic igitur ſe habent.

XI. TEMPLI DIMENSIONES SINGVLÆ.

Longitudo à porta, quæ è regione ſacræ conchæ, in qua incruentum offertur ſacrificium, ſita eſt, ad ipſam concham vſque pedes continet centum nonaginta. Latitudo à parte Septentrionali ad Borealium pedes centum quindecim. Altitudo ab ipſo puncto in vertice hemiſphærij ad ſolum vſque pedes centum octoginta. Latitudo autem cuiuſque fornicis pedes habet ſexaginta ſex. Longitudo totius templi ab Oriente ad Occidentem pedes ducentos ſexaginta: Latitudo vero τοῦ ἀμφωτοῦ illius pedes continet ſeptuaginta quinque. Sunt præterea verſus Solis occaſum aliæ duæ porticus valde eximiæ & atria vndique ſubdio poſita. hucuſque de Sophiæ templo Euagrius. De cuius ſacra menſa iſta Cedrenus: Sacram quoque menſam tum fecit, opus

imitationi multa æquandum, conſtabat vero auro, argento, omniſque generis lapidibus, lignis, metallis, omnibuſque rebus, quas terra fert, mare, & totus mundus: ex omni materia pretioſiora plura vilioraque pauciora collegerat; liquatiſq; his, quæ fluunt, ſic alij plus immiſerat, atque in formam menſæ abſoluerat. Itaque variam illud opus communibus ſtuporem conijciebat: In orbem hanc habuit inſcriptionem.

TVA DE TVIS TIBI OFFERIMVS SERVI TVI CHRISTE IVSTINIANVS ET THEODORA. EA TV PROPITIVS ACCIPE FILI DEI VERBVM QVI NOSTRI CAVSA CARNEM ASSVMPSISTI ET CRVCI AFFIXVS FVISTI. AC NOS IN TVA RECTA FIDE CONSERVA. ET QVAM NOBIS COMMISISTI REMP. EAM AD TVAM GLORIAM AVGE ET TVERE INTERCEDENTE SANCTA DEIPARA VIRGINE MARIA. hactenus inſcriptio. Rurſus vero de eodem ſumptuoſo ornatu meminit Agathias vbi ait: Huius ex vero ſitus noſſe inſuper poteris, ſanctius illud ſacellum argento auroq; conſtare, & in myſteria duntaxat ſepoſitum pretioſiſſimis rebus & mira varietate ornatum, at de his modo hactenus.

IESV CHRISTI

Annus 558.

PALAGII PAP.	IVSTINIANI IMP.
Annus 4.	Annus 32.

I. QVingenteſimus quinquageſimus octauus ſequitur Chriſti annus, poſt Baſilij Conſulatum decimusſeptimus, idemque Conſtantinopolitanæ ciuitati ob nouas ingruentes clades plane miſerrimus, longeque ſuperiori funeſtior: etenim ille vltima ſui parte ob terræ motum duntaxat infelix, hic vero peſte belloque ſemper ærumnoſus extitit. Complectitur breuiter Agathias lugubrem tragœdiam verbis iſtis a: Eodem anno, vere iam ineunte, denuo & iterato vrbem peſtilens morbus inuaſit, & infinitam ſuſtulit multitudinem haud tamẽ prorſus ceſſauit ex quo tum primum anno Iuſtiniani imperij quinto irrepere hanc noſtrã regionem cœpit. qualis vero eiuſmodi contagio eſſet ita habet: Interibant autem repentina morte quã multi tanquã apoplexia graui morbo correpti: qui plurimum reſiſtebant, ad quintum vix diem vita defungebantur. Sed & qualis eſſet ſe lenis febris, quæ hos perurgebat, narrare pergit.

a Agath. l. 5.

II. Ad tanta hæc auertenda mala peſtis ſcilicet & terræ motus, Iuſtinianus Imperator haud dubius ob peccata diuinitus eiuſmodi immitti flagella, hanc ad populum Conſtantinopolitanum edidit ſanctionem b.

b Nouel. 77.

Omnibus hominibus qui recte ſapiunt, manifeſtum eſſe putamus, quia omnis nobis eſt ſtudium & oratio, vt crediti nobis à Domino Deo bene viuant & eius inueniant placationem: quoniam & Dei miſericordia non perditionem, ſed conuerſionem & ſalutem vult: & delinquentes qui corriguntur ſuſcipit Deus. Propter quod vos omnes inuitamus, Dei timorem in ſenſibus accipere, & inuocare eius placationem: & nouimus quia omnes, qui Dominum diligunt, & miſericordiam eius ſuſtinent, hoc faciunt. Igitur quoniam quidam diabolica inſtigatione comprehenſi, & grauiſſimis luxuriis ſemetipſos inſerunt, & ipſi naturæ contraria agunt: iſtis iniungimus, in ſenſibus accipere Dei timorem & futurum iudicium, & abſtinere ab huiuſmodi diabolicis & illicitis luxuriis, vt non propter huiuſmodi impios actus ab ira Dei iuſta inueniantur, & ciuitates cum habitatoribus earum pereant. Docemur enim à diuinis ſcripturis quia ex huiuſmodi impiis actibus & ciuitates cum hominibus pariter perierunt.

III. Et quoniam quidam ad hæc, quæ diximus & blaſphema verba & ſacramenta de Deo iurant, Deum ad iracundiam prouocantes: iſtis iniungimus abſtinere ab huiuſmodi & aliis blaſphemis verbis, & non iurare per capillos & caput & his proxima verba. Si enim contra homines factæ blaſphemiæ impunitæ non relinquuntur: multo magis qui ipſum Deum blaſphemant, digni ſunt ſupplicia ſuſtinere. Propterea igitur omnibus hominibus huiuſmodi præcipimus à prædictis delictis abſtinere, & Dei timorem in corde accipere & ſequi eos, qui bene viuunt. Propter talia enim delicta & fames & terræmotus & peſtilentiæ fiunt: & propterea admonemus abſtinere ab huiuſmodi prædictis illicitis, vt non ſuas perdant animas. Sin autem poſt huiuſmodi noſtram admonitionem inueniantur aliqui in talibus permanentes delictis: primum quidem indignos ſemetipſos faciunt Dei miſericordia, poſt hæc autem & legibus conſtitutis ſubijciuntur tormentis.

IV. Præcipimus enim glorioſiſſimo Præfecto ciuitatis regiæ, permanentes in prædictis illicitis & impijs actibus poſt hanc admonitionem noſtram comprehendere, & vltimis ſubdere ſuppliciis, vt non ex contemptu talium inueniatur & ciuitas & Reſpublica per hos impios actus lædi. Sin autem poſt hanc noſtram ſuaſionem quidam tales inuenientes hoc ſupercelauerint, ſimiliter à Deo Domino condemnabuntur. Ipſe etenim glorioſiſſimus Præfectus ſi inuenerit quoſdam tale aliquid delinquentes, & vindictam in eos non intulerit ſecundum noſtras leges: primum quidẽ obligatus erit Dei iudicio; poſt hæc & noſtram indignationem ſuſtinebit. hucuſq; Imperator, qui dum famem, terræmotum, & peſtem per eiuſmodi delicta illata refert, nec de barbarica graſſatione quicquam meminit: inde adducimur, vt credamus eam hoc anno latam eſſe, ſed ante Hunnorum aduentum, qui tempore autumni contigit, vt Agathias docet. Verum primo quid Glicas hic addat, audi:

V. Cum (inquit) reperti quidam eſſent illicitis vtentes amplexibus tanquam in triumpho per vrbem veretris prius amputatis, ducti ſunt. Horum in numero quidam magnates & Pontifices erant, qui hoc modo circumducti vitam miſere finiebant. Sed hæc expreſſius accipe à Cedreno, dum ait: Anno ſecundo Iſaias Rhodi & Alexander Dioſpolis Thraciæ Epiſcopi, aliique multi deprehenſi ſunt maſculorum corruptores. Horum aliis veretrum amputari iuſſit Imperator, aliis calamos acutos in meatus genitalium inſeri, eoſque nudos in forum quaſi in triumpho produci. Fuerunt & ciuium ac Senatorum multitudo & Pontificum ſummorum non in eadem culpa, qui caſtrati & publice nudi in forum producti, miſerabiliter perierunt, ſuoque exemplo reliquos pudicitiam colere docuerunt. Tulit Iuſtinianus a: res leges contra impudicos, &c. è quibus eam hoc tempore latam eſſe, quam diximus ea, quæ ſunt dicta ex Agathia de terræmotu atque peſte, ſatis docent: horum namque ſcelerum gratia tãta obueniſſe mala, Imperator ea eſt edita ſanctione conqueſtus. Verum nec tantæ maculæ tantis ſunt abſterſæ flagellis, quæ olim nonniſi igne immiſſo cœlitus dilui meruerunt. Nam audi ab eodem auctore Agathia c, quæ hoc eodem anno autumni tempore mala Conſtantinopolim oppreſſerunt.

c Agath. l. 5.

VI. NOVA HVNNORVM INCVRSIO. Super his autem ciuitati & alia pleraque eodem tempore inciderunt tumultuoſa & turbida, nihil minus quam ea, quæ diximus permoleſta. Sed qualia fuerint, explicaturi mox ſumus, ſi prius & breuiter vetuſtiora quædam nos tranſegerimus. narratis poſt hæc de Hunnorum gente nonnullis, mox iſta ſubiungit: Eodem itaque anno, quo peſtilentiſſimum morbum Byzantium diximus inuaſiſſe, Hunnorum reliquiæ ſaltabantur, eramque adhuc celebritate & nomine clari. Deſcendentes itaq; Hunni ad notum ventũ, haud longe ab Iſtri fluminis ripis pro eorum arbitrio conſiderabant. Tunc igitur hieme iam ineunte huius fluminis aquis (vt alias ſemper) nimio præ algore magnam in profunditatem concretæ obſtrictæ, ad obdurarant, adeo vt peruiatam viris eſſet, quam equis iam reddita. Zabergã igitur Cotriguroꝛum Hunnorum præfectus magna cum hominum, equorumque multitudine, dum per conſtrictos fluminis vortices nihil ſecus ac terra iter haberet, facillime in Romanæ ditionis loca pertranſit, nimirum quæ deſerta iam eſſent, & prodeunti ſibi nihil impedimento fuiſſet. Quo factum eſt, vt quamprimum Myſiam, Scythiamque tranſgreſſus in Thraciam demũ peruenerit: quo vbi ventum, exercitum partim in Græciam, vt de improuiſo ſine cuſtodia loca excurreret & popularetur, dimiſit, & alias deinceps manus in Cherſoneſum Thraciæ. ac poſt nonnulla,

VII. INGENS ET MISERANDA STRAGES. Ipſe vero Zaberga cum equitum millibus ſeptem recta ire Conſtantinopolim perg[illegible] agros depopulando tentandoque po-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN